

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

12 April 1995

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Otloh of St. Emmeram, Preface to "Liber visionum"

Visiones autem dico non solum eas, quas per somnia quieta vel per inquieta videmus, cum scilicet rapti in spiritu aliquas perturbationes seu flagella pati nos senserimus, sed etiam eas, quas vigilantes plerique et in extremis positi cernere solent. Quarum omnium genera visionum multifarie in sacra reperiuntur scriptura, maxime tamen in libro quarto dialogorum a beato Gregorio prolata. Cuius etiam intentionem in hoc opusculo imitatus obsecro, ne quis vel propter vilitatem meam vel propter relationis ipsius rusticitatem hec parvi pendat, sed potius ea, que ad edificationem communem quocumque inpolito sermone a me prolata fuerint, attendat. Et o infelices, qui pietatis divine spernunt monita, quibus non solum vigilantes, verum etiam sopori deditos nunc ammonitione lenissima et ultra humanum modum exortatoria, nunc horrenda penarum infernalium ipsiusque iudicii extremi quasi imminentis ostensione, interdum vero, cum nullam emendationem ex predictarum visionum lenitate provenire conspexerit, plagarum ingentium severitate a lascivia et torpore letali revocare dignatur.

2. Peter of Blois is interrupted at his studies

Viro venerabili et amico in Christo carissimo abbati Sancti Maximini, Petrus Blesensis Londoniensis archidiaconus salutem in vero salutari.

Venit ex parte vestra nuper ad me subprior vester, quem antequam monachus fieret semper videram macilentem et tenuem. Nunc autem non agnovi: mutatus enim erat in virum alterum, nec in eo videbam hominem sed monstrum aut potius, dicere si fas est, "Epicuri de grege porcum." Exiens enim a domo penurie et in loco pascue collocatus, incrassatus, impinguatus, dilatatus, nunc ventrem preambulatum gestat, et vereor ne sit de numero illorum quorum deus venter est et gloria eorum in confusione. Invenit me studiis honestioribus occupatum et inter amicabilem Rachelis amplexus suaviter quiescentem; subito autem irrumpens, non dico voce clamosa sed horribili tonitruo me salutans, graviter mei cordis interiora concussit meeque contemplationis delicias nimis importune turbavit. Et utinam illud verbum Salomonis didicisset: "Qua alta voce benedicit amico dormienti similis est maledicenti."

3. Rules of physiognomy (Iodocus)

III^a regula. Licet per signa naturalia membrorum mores hominum cognoscantur, non tamen imponunt necessitatem sed solum ostendunt nature inclinationem.

IV^a regula. Per signa exteriora non statim proferendum est iudicium, quia tale signum non numquam est de natura sed per accidens et non per naturam. Nam etiam sepe vicium victum est per contrariam consuetudinem et etiam sepe vicium ad quod natura inclinat freno rationis retinetur. Unde narrat Aristoteles de discipulis Hypocratis quod figuram depictam portabant Philemoni excellenti phisonomo, qui pronunciavit eum esse virum luxuriosum. Quibus indignantibus et ipsum culpantibus quod de viro optimo sic iudicaret, illud iudicium retulerunt Hypocrati, qui confessus est Philemonem vere iudicasse et ex amore philosophie et honestatis dixit se cordis sui concupiscencias vicisse et se accepisse per studium quod sibi per naturam fuit denegatum.

V^a regula generalis. Signa exteriora referuntur solum ad eas passiones que sunt totius hominis, sicut est iracundia, concupiscencia, et non ad eas que solius sunt anime, sicut est musica, geometria, astronomia et huiusmodi.

4. The soul should be healed before the body (Barcelona statutes)

Cum nos Poncius, Dei gracia Barchinonensis episcopus, intelleximus nonnullos medicos in ciuitate et diocesi Barchinonensibus degentes circa animarum salutem eorum quos sua cura suscipiunt fore desides et quam plurimum negligentes, non attendentes quod infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido quem sanauerat, "Vade et amplius noli peccare ne deterius tibi contingat," uolentes animarum saluti in hac parte quantum cum Deo possumus prouidere, monemus semel secundo tercio et peremptorie in hiis scriptis generaliter omnes medicos tam phisicos quam chirurgicos cuiuscumque status aut condicionis existant eis que districte iniungimus et mandamus ut antequam patientem aliquem sub sua cura recipiant ad suscipiendam penitentiam de commissis et ad ordinandum de bonis suis moneant et inducant et ab hac hora in antea neminem sub sua cura recipiant patientem et sub periculosa precipue infirmitate laborantem nisi prius sacerdoti suo integre confessus fuerit et corpus Christi digne receperit prout decet ut inuocato prius medico anime corporales medici curam suscipiant salubrius patientis.
